





Q. D. B. V.

DISPV TATIO IVRIDICA  
DE AEQVALI  
IVRE DOMINANTIS  
ET SERVIENTIS PRAEDII  
SI PASCVA NON SVFFICIENT

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
CONSENSV

P R A E S I D E  
D. ANDREA FLORENTE  
RIVINO

SVPR. CVR. PROV. ADVOC. ORDIN.

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI  
EXHIBET

AVCTOR ET RESPONDENS

CAROLVS FRIDERICVS MENSER  
LIPS.

D. XIII. FEBR. CIC IC CC XXXVIII.

Rec. L I P S I A E 1747.  
LITTERIS STOPFELIANIS.

DISPUTATIO IN VIRTUTIBUS  
LIBERI ET LIBERTATIS  
IARVITONIANITIS  
ET LIBERTATIS LIBERTATIBUS  
ET LIBERTATIBUS LIBERTATIBUS

ILLUSTRATISSIMA LIBERTATIS  
COOPERATIONIS

D. ANDREAS FLORENTI  
RIVIANO

BRUNO ERASMORUM EXAMIN

CALOGAS EBDITHOS MELISSA

DISPUTATIO IN VIRTUTIBUS

LIBERI ET LIBERTATIS



Q. D. B. V.

DISPVVTATIO IVRIDICA  
DE  
AEQVALI IVRE DOMINANTIS  
ET SERVIENTIS PRAEDII, SI PASCVA  
NON SVFFICIENT.

- §. I. II. et III. Legitima urbanorum et rusticorum praediorum seruitutum differentia traditur. Eorum sententia, illas in superficie, basce in solo confistere, confutatur. L. 3. D. de Seruit. L. 13. D. de S. P. R. et L. 20. pr. D. de S. P. V. explanatur.
- §. IV. Seruitus, vel per se, seu in abstracto, vel respectu dominantis praedii i. e. in concreto, consideratur.
- §. V. Paetis ac stipulationibus effici potest, ut seruitutes reales, quae alias vilitatem dominantis praedii, vicinitatem et causam perpetuum requirunt, certae quoque personae extra hunc respectum, concedantur,
- §. VI. et VII. Olim nulla seruitus realis, solum voluptatis vel amoenitatis gratia, constituta poterat. L. 8. D. de Seruit. illustratur.
- §. VIII. Probatur, ius pascendi pecus, personae ad certum tempus, vel ad dies vitae, secundum Iuris Romani platica, quoque concedi potuisse: Idque obtinuisse in pascuis publicis pariter ac
- §. IX. Priuatis.
- §. X. et XI. Nominis in alienofuando pascere licet, nisi hoc ius paetis, vel praescriptione sit acquisitum. Modus arcondi aliorum pecus a fundis publicis et priuatis recensetur. Si pacto concessa, vel praescriptione acquista est seruitus pascendi.

A 2

4 DE AEQUALI IURE PRAEDII DOMINANTIS

pascendi, est strictissimae interpretationis: Hinc cum iure prohibendi et arcendi pecus domini seruientis praedii, regulariter non coniuncta. Corrasus notatus.

§. XII. Is, cui seruitus pascendi competit, debito modo et tempore ea utatur. Non tamen amittitur seruitus, si modus sit transgressus.

§. XIII. Trebatii et Marcelli sententia occasione L. I. §. 18. D. de aqua cott. examinatur.

§. XIV. Quaeritur, seruitute pascendi ad certum omnium numerum restricta, an agni sub grege comprehendantur? an augeant numerum, et an non potius a pascendo excludi, vel minimum connumerari debant? prior quæstio affirmatur, posterior contraria a Wernhero defenditur.

§. XV. Quandiu agni dicantur, incertum: Vsus locorum respiciendus: in dubio, qui minores amiculi sunt.

§. XVI. Tempus indicatur, quo communiter probibetur pecus pascare.

§. XVII. Hoc determinato, dominus praedii seruientis neque ante, neque post illud, aliquid in præiudicium seruitutis constitutae, vel per præscriptionem acquisitae suscipe-

re potest: interim tamen is ius pascendi, iure dominii competens, exercere potest et tempore, quo domino praedi dominantis id non licet, v. c. tempore hyberno, clavis pratis atque agris.

§. XVIII. Exceptio, si dominus fundi pacto se obstrinxerit, quod in eo nulla omnino pecora pascere velit, vel libertas haec naturalis a praedio dominante sit vsu capta.

§. XIX. Solo non vsu pascendi ius, iure dominii competens, non amittitur.

§. XX. Ius pascendi est respectu dominii fundi res merae facilitatis, non eius, qui seruitute pascendi in fundo alieno gaudet: Haec, ut seruitutes praediiorum rusticorum in genere, solo non vsu amittitur. Imo, quicunque quid fieri concedit in fundo seruiente, quo seruitus pascendi impeditur, ipsam seruitutem remissive censetur. Nec potest dominus praedi dominantis seruitutem pascendi absque praedio locare.

§. XXI. Ratio, cur dominus praedii seruientis a iure compascendi non excludatur. Differentia huius iuris a iure compascui demonstratur.

§. XXII. et XXIII. Aequale ius

com-

ET SERVENTIS, SI PASCVA NON SVFFICIENT. 5

competit in dubio domino  
praedii seruientis et domi-  
nantis. Quid autem, si pa-  
scua non sufficiant? tres sunt  
sententiae: 1) alii pro ser-  
uiente, 2) alii pro dominante,  
3) alii pro utroque, pugnant.  
Domino praedii seruentis plu-  
rimi auent, qui recensentur:  
Eorum argumenta ponderan-  
tur et consultantur.

§. XXIV. et XXV. Alterius sen-  
tentiae propugnatores allegan-  
tur, eorumque argumentis re-  
spondetur.

§. XXVI. Tertia sententia addu-  
citur, stabilitur, et praeiudi-  
cio Curiae et Scabin. Vit. ad  
illud Regim. Sax. Martish.  
confirmatur.

§. I.

**C**ommunis ac recepta in iure est diuisio ser-  
uitutum realium, in urbanas atque rusti-  
cas; illam, in superficie, i. e. super faciem  
terrae, hanc, in solo consistere autumant,  
et ad corroborandam hanc sententiam prouocant  
ad verba generalia l. 3. D. de Seruit. sed in eo erra-  
re videntur, dum nullum faciunt discrimen, num  
haec verba absolute, i. e. per se, et ex natura, seu in  
abstracto, an relative ad certum praedium, i. e. in  
concreto, ut in scholis loqui amant, sint accipien-  
da. Verius enim est, seruitutes, tam urbanas, quam  
rusticas, si eas a dominante praedio cognominamus,  
alias in solo, alias in superficie consistere, et ita Con-  
stantinus Harmenopolus hanc legem 3. accipit a),  
quam explicationem quoque approbat Edm. Me-  
rillius b). Hinc et Paulus ICtus inquit: *praedium  
urbanum non locus facit, sed materia* c), i. e. genere  
usus, quomodo et servi urbani, a rusticis distin-  
guuntur d). Nec admittenda est interpretatio hu-  
ius legis eorum, qui alias seruitutes in solo consi-  
stere,

A 3

6 TITE AEQVALI IVRE PRAEDII DOMINANTIS

ster, h. e. a domino soli, alias in superficie, h. e. a superficiario constitui, afferunt. Quanquam enim concedam, superficiarium fundo suo seruitutem acquirere, et iure praetorio seruitutem eidem imponere posse, si hoc fiat citra diminutionem merceris soli e); haec explicatio tamen huius legis plane huc non quadrat, praesertim si consideramus, hanc divisionem in aliis quoque occurrere legibus f).

- a) L. 2. Tit. 4. §. 126.
- b) ad Tit. de Seruit. ad h. l. in Thes. I. Ciu. Celeberr. Ottonis T. III. p. 636.
- c) L. 193. D. de V. S. et L. 1. D. Comm. Praed.
- d) L. 99. D. de Leg. III. L. 166. D. de V. S.
- e) L. 17. de pign. act. L. 13. §. 3. de pignor. L. 15. qui pot. in pign. L. 1. pr. quib. mod. vñfr. Galuanus de Vñfr. c. 26. p. 30.
- f) L. 13. D. de S. P. R. pr. L. 20. D. de S. P. V. et alibi passen.

§. II.

Vlterius equidem contrariam opinionem, vrbanas in superficie, rusticas in solo consistere negantes, probare intendunt ex L. 13. pr. D. de S. P. R. in qua quaestio est, si vineis seruitus fuerit imposta, sublati vitibus, num seruitus adhuc maneret; et iustissima est sententia eorum, qui putant, sublata superficie, nihilominus adhuc manere seruitutem, quia haec respectu magis soli, quam vitium fuerit constituta. Totum autem rese oredit, ut bene perpendamus, per seum hic non intelligi rusticum praedium, cui vineae annumerantur; potius credamus, legislatorem his verbis indicare ipsum fundum, cui seruitus erat imposta, et cui opponit vites, quae sunt in superficie.

§. III.

Porro argumentum quoque, quo suam fulcire sattagunt sententiam dissentientes, ducunt ex pr. L. 20.

ET SERVENTIS, SI PASCVA NON SVFFICIENT.

L. 20. D. de S. P. V. in qua tigni immisii et stillicidii fit mentio.<sup>b</sup> Sed quis in eorum iret partes, cum omnes in ea lege adductae seruitutes urbanae in rusticis quoque praediis obtineant; ita enim v. c. tigni immisio, seruitus stillicidii, in rusticis; aqueductus autem, aut iter per alterius domum, areamue, ad alterius praedii utilitatem, etiam in urbaniis praediis constitui potest a). Sic in L. 14. D. Comm. Praed. dicitur: Iter nihil prohibet sic constitui, ut quis interdiu duntaxat eat: quod fere circa praedia urbana etiam necessarium est. Et denique quamvis aedificia de urbanis, solum de rusticis praediis intelligent, eorum tamen sententiae refragatur §. 1. I. d. Seruit. ubi expressis verbis dicitur: aedificia omnia urbana praedia appellamus, et si in villa aedifica-ta sint. et in L. 198. D. de V. S. Vlpianus tradit; urbana praedia accipi omnia aedificia, non solum ea, quae sunt in oppidis, sed in villis et in vicis. Proinde hortos quoque, si qui sunt in aedificiis constituti, putat urbanorum appellatione contineri; nisi in redditu sint, vinearii forte, vel etiam olitorii, magis quam haec non esse urba a). Vnde recte sentit B. Menkenius c) seruitutes, quae regulariter urbanae sint, si debeantur praedio rustico, rusticis dici posse, sicuti vicissim rusticis seruitutes, quae urbano praedio praestantur, a dominante praedio, tanquam potiore, urbanas.

a) dict. L. 20. §. 1. D. de S. P. V. et L. u. §. 1. D. de Public. in rem aet. L. 7. §. 1. D. Comm. Praed.

b) L. 4. §. 10. D. fin. reg. et Zach. Huber. Obs. rer. iud. Obs. 85. p. 385.

c) in Synops. Pand. L. VIII. T. II. §. 1. in fin. §. IV.

8. T. DE AEQUALI IVRE PRAEDII DOMINANTIS

§. IV.

Id vero eos seduxisse videtur, quod supra allatam distinctionem, inter seruitutem per se consideratam i. e. in abstracto, et seruitutem respectu dominantis praedii i. e. in concreto, flocci fecerint. Hoc discrimen vero obseruantes, omnes iam adductas leges et textus et imprimis L. 2. D. de S. P. R. pr. et §. 2. I. de Seruit. quoque facilissimo negotio explicare poterunt; recensentur enim in hac lege et textu seruitutes, quae tantum per se i. e. in abstracto consideratae urbanis praediis competunt, at tamen hoc loco rusticis quoque praediis accensentur. Sic seruitus cloacae immittendae, a Neratio, L. 2. D. de S. P. R. inter rusticorum, a Gaio, L. II. T. 1. §. 3. Inst. de reb. inter urbanorum praediorum seruitutes recte refertur a).

a) Conf. Celebri. Euer. Otto in *Dissert. VIII. de Vfucap. Seruit. Cap. 1. §. XII.* p. 407.

§. V.

Quum autem omnium seruitutum realium ea natura sit, ut semper fundum, sive praedium, respiciant, in cuius utilitatem sint concessae, statim apparet, stricto iure nullam seruitutem, quae vel in solo, vel in superficie consistit, personae concedi posse, citra respectum ad certum et vicinum praedium a, potius talem concessionem seruitutis ipsis, principiis Iuris Romani contrariari, dum seruitutes reales prorsus a natura personalis seruitutis in eo recessunt, quod in illa multa desiderantur, quae in hac non necessario adesse debent, sic v. c. ad seruitutem requiritur utilitas dominantis praedii, vicinitas, et causa perpetua; si autem seruitutem personalem consi-

consideramus, in hac non sumus solliciti, an hoc ipso praedii utilitas promoveatur, an minus, modo personae prospicit; nec vicinitas, et causae perpetuitas desideratur; cum persona enim talis seruitus iterum exspirat. Quemadmodum autem quilibet liberam rerum suarum habet administrationem, ita et pactis atque stipulationibus effici potest, ut seruitutes, alias reales, certae quoque personae in eius utilitatem concedantur, licet non vicinum, imo nullum possideat fundum: asserti huius documenta in ipsis prostant legibus b). Talis autem concessio non est species seruitutis realis, sed libera atque voluntaria gratificatio, et personalis potius seruitus c).

- a) L. I. §. i. L. 12. D. Comm. Praed. tam urb.  
 b) L. 32. D. de V/sfr. L. 37. D. de S. P. R. L. 14. §. 3. D. de al. et cib. leg. L. 4. & 8. D. de seruit.  
 c) B. Barthii Diff. VIII. de iure pascendi Cap. u. §. 4.

### §. VI.

Multo minus quoque seruitutes reales, R. manis, bellico populo, vt de eo testatur *Liuius* a) solius voluptatis et amoenitatis gratia constitui posse placuit b); quare etiam *Waechterus* c) contra *Noodtium* L. 8. D. de Seruit. iuncta L. 6. D. de S. P. R. ob eius inscriptionem, et generalitatem tituli de Seruit. ex quo prior lex defumta, merito cum aliis pro genere anomala et irregularis cuiusdam seruitutis, personalis potius quam realis accipit; imprimis autem hanc materiam fustus et professus opera, tractauit *Zacharias Huberus Ulrici filius* d), dum primo definitionem seruitutis, quam *Corasius* e) suppeditat: *quod sit constitutio iuris gentium, qua prae-*

B

dium

10 DE AEQVALI IVRE PRAEDII DOMINANTIS

dium contra naturam vicino praedio, ad eius vtilitatem, vel domini commoditatem, cum iuriis sui diminutione seruit; recte taxat, et Donelli praefert: quod sit ius in re aliena constitutum, quo dominus in suo aliquid pati, vel non facere cogitur in alterius vtilitatem, et ex huius definitione demum ipsam rem luculenter exponit, finem et scopum seruitutis, qui tendit ad vtilitatem fundi, cui debetur, indicans: adiciens insuper Connani f) sententiarii, qui nomen seruitutis ex Ciceronis Orat. g) deducit, vbi ait: *Neque seruitus appellabitur seruitus, si non seruit, h. e. si non utilis mihi, aut rebus meis est.* Hisque ita praesuppositis, distinguit vtilitatem a voluptate, quod discri-  
men etiam in legibus h) obseruatur, et ex eo colli-  
git; seruitutem, quae praedii qualitas est i), quam  
res non homo debet k), nequaquam admittere vo-  
luptatis exercitium, quod vnice cadit in hominem,  
et nunquam est, nec esse potest praedii, quemad-  
modum amoena-  
tas quoque non ad res, sed perso-  
nas, refertur l).

- a) *Histor. L. VII. Cap. 2.*
- b) *L. 19. §. 1. D. de Seruit.*
- c) *in not. ad Noodt. L. i. c. n. Probab. edit. Conf. Trotzii p. 199.*
- d) *in Diff. L. III. diff. n. C. i. p. 392. sq.*
- e) *in Comment. ad rubr. de Seruitutibus.*
- f) *4. Comm. 7.*
- g) *in Orat. pro Plancio.*
- h) *L. 3. §. 4. D. de in rem verso.*
- i) *L. 86. D. de V. S.*
- k) *L. 6. §. 2. D. si seruit. vind.*
- l) *L. 16. §. 1. D. quod vi aut clam.*

§. VII.

ET SERVENTIS, SI PASCVA NON SVFFICIENT. II

§. VII.

Accedit et hoc, quod omnes seruitutes reales perpetuam habere debeant causam a), et ideo haec, quae solius voluptatis et amoenitatis gratia constituitur, seruitutibus personalibus potius, quam realibus, accenseatur. Quod principium tamen, posterioribus temporibus, tacito, illiteratoque consensu populi Romani, obliteratum deprehendimus. Unde in L. 3. pr. et L. 4. §. II. D. de aqua cot. dicitur: *hoc iure utimur*, i. e. sic post multas variationes tandem obtinuit, aduersus iuris regulas, ut hanc formulam maxima auctoritatis ICti explicant b), ut etiam non ad irrigandum, sed pecoris causa, vel amoenitatis, aqua duci posset, et praesertim idcirco Gerard. Noodtius c) accurate obseruat: antiquis temporibus aquae ductum fuisse ius, quod non domino, sed praedio competierit. Sed deinde Romanorum luxuria eo peruenit, ut aqtiā ad volūptatem, et amoenitatem quoque ducerent.

a) L. 28. D. de S. P. V.

b) Noodt. Prob. I. C. L. i. C. 3. p. s. sq. et in Comment. Pand. L. 3.

T. 3. p. 217. et Cl. Otto in Diff. de Iſucap. Scr. C. u. §. 7. p. 424.

c) dicto loco.

§. VIII.

His consideratis, consequens est, ut iam probemus, seruitutes alias reales, sine respectu ad praedium quoddam, personae quoque concedi posse. Conuenit haec ipsa nostra sententia principiis Iuris Romani, sic etenim ex L. 4. D. de S. P. R. indubitate constat, seruitutem pecoris pascendi, quae est ius pascendi pecus suum in alieno praedio, respe-

## 12 DE AEQUALI IVRE PRAEDII DOMINANTIS

Et uero praedii pariter, ac solius personae intuitu a), ad certum tempus, vel ad dies vitae concedi posse; illa est realis, haec personalis, et personam non excedit, nec ad heredes transmittitur: quanquam enim usum seruitutis pascendi per legatum relinqui non potuisse, ambabus, ut aiunt, concedam manibus, per canonem ICris et Philosophis communem: qualitatis insimiae non esse aliam qualitatem, sicuti speciei specialissimae nulla est species, et quia haec seruitus seruitutis esset, inde tamen dabatur legatio incerti actio cum herede, ac si simpliciter foret seruitus legata, ut ea seruitus ratione durationis usufructui similis, quandiu vixerit, constituantur sub conditione b). Sic si amplior pascuorum publicorum modus esset, quam ut decerpi a dominico grege posset, locabatur ea pascuorum pars, quae supererat, pastoribus, qui proprios greges eum dominicis miscebant, et fixa et annua pensione ius pascendi redimebant, quam augeri Julianus, et deinde Valentinianus et Valens prohibuerent: ne sub praetextu, quod maiorem, quam antiquis temporibus solebant, pensionem soluerent, sibi tota pascua vindicarent depascenda, et greges dominicos ab illis excluderent c).

a) L. 3. pr. D. de S. P. R.

b) L. i. D. de Vſu et Vſuſr. Noodt. L. ii. Prob. c. 3. ibique  
Chriftr. Waechteri notas p. 235. in edit. Conf. Trotzii.

c) L. i. et ii. C. Theod. de pascuis. Cl. Burmann. de vestig. pop.  
Rom. Cap. IV. p. 47.

## §. IX.

Et idem quoque in priuatis obtinuisse haut  
difficulter eluescit ex L. 32. D. de Vſuſr. in qua  
quae-

quaeritur; num is, qui fundum tradit, excipere, i. e. retinere a) possit id, quod personae, non praedii est; veluti usum et usumfructum, et respondetur, quod sic, si vero excipiat, quae praedii sunt, v. g. ut pascere sibi liceat, hoc producere solummodo pacti, vel doli exceptionem; regulariter enim tale ius ad tempus et sub conditione concedi non posse, luculenter probant verba L. 4. pr. D. de Seruit.

a) vid. *Dissert. Dn. Praefidis de retentione ususfructus eiusque effectu §. 1.*

§. X.

Quemadmodum autem ius ipsum pascendi per eius suum in alterius fundo satiis sit onerosum domino praedii seruentis, nec in alieno fundo, neque de iure Ciuali, nee Saxonico, pascere liceat, dum secundum L. 1. C. de fund. et salt. rei domin. immittens animalia in pascua Principis, vel syluam, vel saltum auf der Herrschaft Weyde, [Forst oder Hölzer], si non habeat ius pascendi, illa amittit, et fisco vindicantur; et in priuatis pignoratio et inclusio alieni pecoris, in fundo deprehensi, et gramen et fruges dependentis, Iure Romano non plane est prohibita a), et iure Sax. prorsus licita b) etiam si sit incultus ager, vti statuit Ioh. Thomae c), nisi competat ius pascendi, quod in lege Mosaica septimo anno cuiilibet licebat d), et antiquis temporibus in pascuis publicis licuisse, relatum legimus, donec ab Aedilibus plebis lex lata, et multa imposita iis, quorum pecudes agrum publicum depascerent e); ita illud sine dubio strictissimae est interpretationis, hincque domino fundi seruentis, licet si Princeps, qui pri-

## 14 DE AEQUALI IURE PRAEDII DOMINANTIS

uato ius hocce per pritilegium concessit f), haut denegandum est ius pecus suum eodem fundo, iure dominii, simul immittendi pascendi caussa, licet alteri seruitus haec sit concessa, vel eadem ab eo per praescriptum tempus acquisita. Ius namque pascendi non necessario coniunctum est cum iure prohibendi, et arcendi pecus domini seruientis praedii a iure compalcendi; argumentum praebet L. 13. §. 1. D. de S. P. R. vbi de itinere dicitur, si iter et actus sine villa determinatione sit legatus, dandos esse arbitros, qui determinarent, et si iter determinatum sit, consistere seruitum, ceteras partes liberas esse: nec non L. 13. §. 1. D. Comm. Praed. vbi quaestio est, an liceat in alterius agro lapides cedere, et respondetur negando, nisi ius cuidam in eo agro competit, quod tamen in fauorem domini quoque limitatur, ne vsus necessarii lapidis intercludatur atque adimatur.

- a) L. 39. §. 1. ad L. Aquil. L. 29. §. 7. eod. dissent., Ioh. Voet. addit. si quadr. paup. fec. n. 3. p. 537.
- b) L. R. L. 2. a. 40. 47. et P. 2. c. 7. et 27.
- c) de noxicis animalium Cap. XV. p. 161. sq.
- d) Exod. 23. v. 11. Lévit. 25. v. 6. 7.
- e) Ouid. fast. V. v. 283. sqq. et huius multæ frequens fit mentio apud Liu. L. X. c. vlt. L. XXXIII. c. 42.
- f) Illuftr. Leyfer. Sp. 108. m. 3.

## §. XI.

Ex quibus satis, et praesertim etiam ex L. 6. C. de Seruit. apparet in omnibus Seruitutibus, in dubio, commodum quoque domini praedii seruientis esse respiciendum: nec supra allata definitio Coralli a) in contrarium nos mouet. Ex ea namque inferri

ferri posset, in tali casu semper contra dominum praedii seruentis pronuntiandum esse, dum seruitus iuris sui diminutionem necessario inuoluat. Sed cum Zachar. Hubero b) hanc definitionem merito iam reiecmus, quia sufficit alteri commodum acquiri, et si nostrum ius nihilo deterius fiat; vt puta quando pascua mihi abundant, et tibi seruitutem pascendi concedam; quamuis largiar per seruitutem regulariter ius praedii deminui et alterius augeri L. 5. §. 9. D. de Oper. Nou. nunciat. Vnde non solum ipse dominus eo fundo, qui seruit, vti sed et in eodem aliis quoque idem ius pascendi concede-re potest, si modo utriusque pastus sufficiat a), L. 5. §. 1. D. de S. P. R. verb. non ultra posse, quam quatenus ad eum ipsum fundum opus sit, et hoc ipso ei, cui priori data est seruitus, exercitium eiusdem haut minuatur c).

a) vid. §. 6. huins Diff. b) dicto loco §. 3. p. 379.  
c) L. 5. D. Comm. Praed.

### §. XII.

Praeterea autem, si pacto constituta, vel per praecriptionem acquista est seruitus pascendi, debito modo et tempore ea vtatur, nihilque contra legem contractus suscipiat. Per modum autem hic intelligimus ipsam rationem, qua quis iure pascendit vti debet; qui plerumque in conuentionibus a contrahentibus exprimitur: qui tamen si non obseruatur, non statim amittitur seruitus; non autem conceditur plus, quam paetrum est in seruitute habere a), v. c. si ad certum genus pecoris, aut ad certum numerum ius pascendi est restrictum, eum cui

16 DE AEQVALI IVRE PRAEDII DOMINANTIS

cui competit ius pascendi ita stringit, ut alia pecora, aut plura, quam conuentum fuit, pascere non possit b).

a) L. u. pr. D. quemadm. seru. amitt.

b) dict. L. u. et L. i. §. 18. D. de aqua cott. j. Noodt. de V/suf. Lib. u. Cap. 9. in fine p. 462.

§. XIII.

Nimis enim durum atque iniquum foret, eum iure suo, legitime acquisito, priuari, qui modum tantum in vtendo transgressus sit: quam quidem sententiam Trebatio placuisse ex L. i. §. 18. D. de aqua cott. constat; Sed Marcelli contraria sententia, aequitate suffulta, praeualuit, quod appareat ex verbis dictae legis, quod est verum, addita ratione, quia pecora separari possunt, si enim plus iusto appulsum fuit, id, quod excedit numerum, aditu prohiberi potest. Exinde enim nullum damnum sentit proprietarius, quamvis facto contrario a praedio dominante pactum sit transgressum; nam prohibitione proprietarii accedente, ab eo desistere debet is, cui seruitus pascendi est concessa, si excederet numerum; dum alias hoc ipso efficeret, ut, aucto numero, dominus ius pascendi, vi dominii competens, simul exercere non posset.

§. XIV.

Quamuis autem dominus praedii dominantis nihil ultra certum et determinatum pecoris numerum appellere possit, exinde tamen inferendum non est, foeturam a pascendo excludi vel in numerum esse conferendam. Hinc quando seruitus pascendi ad certum ouium numerum est restricta, agnos mrito

rito sub grege comprehendendi, nec augere numerum, neque a pascendo excludi posse, arbitror. Quanquam enim facile concedam Illustri Wernerho a), qui contrarias tuetur partes L. 19. §. 7. D. locati ad quam alias fere omnes, qui nobiscum faciunt, confugiunt, ob disparitatem rationis huc non spectare, in qua traditur casus, vbi ex muliere, quam quis naui vehendam conduxit, infans natus erat, in quo casu probat Vlpianus, pro infante nihil deberi, quia eius vectura non magna sit, neque his omnibus utatur, quae ad nauigantium usum parantur; nostram tamen decisionem, et si lege expressa deficiamur, aequitas suggesterit L. 2. §. 5. D. de aqua et aqua pluia, &c. cuius praeceptum rationem in iudicando haberi vult. L. 8. C. de iudiciis. Cui enim non aequum videbitur id, quod sine graui domini fundi seruentis dispendio, magno tamen incommodo domini praedii dominantis, futurum esset, quod accideret, si a matribus agni separari deberent, arg. L. 35. D. de Aedil. Edict. l. 12. §. 7. D. de instrum. et instr. legato.

a) P. VIII. O. 491.

### §. XV.

Quamdiu autem agni dicantur, quum ipsae leges non conspirent, dictu est difficillimum; plurimi statuunt, agnos accipi, quamdiu anni spatium nondum adimpleuerint, id quod etiam iure Bauarico cautum esse monet Brunnemannus a), quae sententia etiam vera esse videtur, teste Alseno in L. 60, pr. de Leg. 3. vbi quaestio mota est, si agni legati

C

gati

18 DE AEQVALI IVRE PRAEDII DOMINANTIS

gati essent, quatenus viderentur, quidam aiebant, agnum sex mensium, sed verius est, inquit, eos legatos esse, qui minores anniculi essent; nisi locorum usus aliud suadeat, teste *Marciano* in *L.* 65. §. 7. *D. eod. b.*

a) ad *L.* 17. *D. ne S. P. R. n. 5.*

b) *j. Illust. Rechenberg*, in *Reg. Iur. L. 2. Tit. 9. §. 43.* et *Engelbrecht*, in *Diff. de eo, quod memorabile ac iustum est circa agnos*, vom *Lämmer-Recht. Part. post. Cap. 3. §. 4.*

§. XVI.

Vti autem modus tenendus, sic quoque tempus est obseruandum: tempus autem indicat spatium, intra quod ius pascendi exercere est permisum; sic communiter prohibetur pecus pascere pratis et agris clausis. Quale autem tempus indicitur per prata clausa, quo pascere non licet, generaliter definiri non potest, variant namque et in eo mores locorum, de quibus vide sis *Tr. Thomae de noxia animalium* a), qui hanc rem latius pertrahuit, atque ab antiquissimis temporibus deduxit; in praesenti ea in medium produxisse sufficient, quae Saxoniam nostram respiciunt, ubi a pragmatice haec obseruari solet regula, prata, respectu termini a quo, claudi a Calend. Maii, vel die St. Georgii usque ad festum Michaelis, agri posteaquam constituti rastrisque subiecti sunt usque ad messem consummatam, sive diem Iacobi, sicuti, teste *B. Menckenio* b), censuit *F. I. L. M. Aug. 1699.* et quidem in antiquis seruitutibus pascendi, facta *Ao. 1700. Calenda-*

ET SERVENTIS, SI PASCVA NON SVFFICIENT. 19

lendarii mutatione, computationis antiquae obser-  
uantia iniungitur c).

- a) Cap. XV. n. 12. sqq.
- b) in Synopf. Pand. L. VIII. Tit. III. §. 8. Carpz. P. I. C. 4.
- c) def. 4. et Wernber. P. II. En. 301.
- e) conf. Titii Ius Priv. L. VIII. Tit. XVIII. §. 14. p. iii.

### §. XVII.

Si igitur tempus vel pa&to, vel consuetudine est definitum, quo ei, cui ius pascendi competit, pecus suum pascere licet, eodem, imo ante et post illud, dominus praedii seruentis nihil in praeiudicium huius iuris suscipere potest. Nam quamvis quilibet dominus rei suae optimus sit moderator et arbiter, et in fundo suo omnia facere possit, quae ei libuerit; haec tamen libertas naturalis restricta est, seruitute constituta: totum enim ius nostrum consistit, aut in adquirendo, vel conseruando, aut in minuendo, aut alienando L. 41. D. de LL. Sic seruitus pascendi adimit domino facultatem agros arandi, quatenus id cedit in seruitutis praeiudicium a), vel in stagnum commutandi b), quemadmodum etiam ab eo, cui competit seruitus pascendi, nihil in praeiudicium proprietarii suscipi potest: praesertim autem sine contradictione dominus praedii seruentis ius pascendi exercere potest eo tempore, quo domino praedii dominantis id non competit, nec nocet. Iuuat namque meminisse, ius pascendi dupli modo considerari; altero pro eo iure, quod habet dominus in fundo suo; altero pro eo iure, quod alteri conceditur in fundo alie-

## 20 DE AEQUALI IVRE PRAEDII DOMINANTIS

no, quod ius vocatur seruitus. Ita dominus seruientis praedii pratis, et si clausis, pecus suum immittere potest, quod domino praedii dominantis tantum, pratis non clausis, competit. Dominus enim fundi seruientis in fundo omnia facere potest, per quae seruitatis usus non impeditur, nec sit caussa seruitutis deterior c).

a) P. 2. *Conf. El. 41. ibique Carpz. def. 1.*

b) *Ideam ead. C. def. 2.*

c) Berlich. P. 2. *Dec. 201. n. 20. sq. n. 32. et 34. Illustr. Wernher. P. 8. Obs. 499.*

## §. XVIII.

Quando ramen dominus fundi pacto se obtrinxit, quod in eo nulla omnino pecora pascere velit, promissio standum est, ac ne quidem hyperbano tempore oves ibi pascere potest, inuitu eo, cui ius pascendi indefinite competit a). Verum enim vero tunc ius hoc pascendi coniunctum est cum iure prohibendi, quod itidem pacto est acquisitum, nam pactum dedit legem contractui; atque expressa nocent, non expressa non nocent b), et quae antea erant voluntatis, ex post facto sunt necessitatis. Dantur tamen etiam casus, quibus libertas naturalis domino fundi competens, ius pascendi exercendi, circa voluntatis expressam declarationem amittitur, scilicet libertatis praescriptione, seu libertatis naturalis usucapione c) i.e. vt domino fundi seruientis pascui usus fuerit interdictus, et is per illegibus requisitum tempus acquieuerit, vt hoc te- stantur

ET SERVENTIS, SI PASCVA NON SVFFICIENT. 21

stantur viri Celeberrimi, Bergerus d), Leyserus e),  
et Eu. Otto f), et mores constanter seruant g).

a) Ampl. Wernher. P. 8. Obs. 492.

b) L. iij. D. de R. I.

c) L. 6. & 7. D. de S. P. V.

d) Oecon. Iuris p. 255.

e) Spec. 103. med. 4.

f) in Diff. de Usucap. Seruit. Cap. I. p. 392. sq.

g) Idem ibid. §. XV. p. 4ii.

§. XIX.

In genere autem solo non vñi pascendi ius,  
iure dominii competens, non amittitur; secundum  
naturalem enim libertatem quisque pro libitu pa-  
scere potest, vel minus; imo alterum quoque a iure  
pascendi penitus arcere; quemadmodum enim,  
quod nullius est, id ratione naturali occupanti ce-  
dit a) quoad possessionem, eo tamen cum effetu,  
vt tunc possessionis fruatur beneficio, non domi-  
no b); ita multo magis in ciuitate hoc est afferen-  
dum, si dominium rerum ex naturali possessione coe-  
pit, vt Nerua filius ait c), et occupatione vel appre-  
hensione ex iusto titulo facta, dominium acquiritur.

a) L. i. pr. D. de A. R. D.

b) vid. E. Gribneri Princip. Iur. Nat. L. i. C. 6. §. 5. lit. a.

c) L. i. §. i. D. de acqu. vel am. poss.

§. XX.

Merito igitur ius pascendi inter res merae fa-  
cultatis respectu domini fundi refertur, et ab eo ex-  
erceri et omitti potest; siue itaque vtatur dominus,

C 3

siue

## 22 DE AEQVALI IVRE PRAEDII DOMINANTIS

sue non, tertio tamen inde nullum enascitur ius. Vnde licet per centum annos, et amplius, eo iure non sit usus, quia tamen facultas erat, quae sua sponte et natura sua penes eum requiescebat, quamdiu de facto ei non est adempta, sequitur ea facultate adhuc uti posse a). Sed hoc intelligendum de iure pascendi, quod competit in re propria iure dominii; secus res se habet in seruitute pascendi in fundo alieno constituta, si enim quis hac non utatur, cum facultatem utendi habeat, licet denegatio non acceperit, eadem solo non usu extinguitur, et libertas naturalis reuiuiscit; quemadmodum hoc in genere in seruitutibus praediorum rusticorum obtinet b), imo et is seruitutem pascendi amittit, qui pratum, in quo eam habuit, circumscriptum patitur: quicunque enim quid fieri concedit in fundo seruiente, quo seruitus pascendi impeditur, ipsam seruitutem remississe censetur c). Ceterum, si non ipse indigeat hac seruitute, ius pascendi tamen oves vel pecora absque praedio dominante neque locare, neque commoditatem seruitute hac utendi alterius personae aut praedio concedere potest, nisi speciali pacto hoc permisum fuerit, quia est qualitas praedii d) et talis seruitus, quae ita inhaeret praedio dominanti, ut ab eo diuelli haut possit, quod secus in eo obtinet, qui iure dominii ius pascendi locat.

a) L. 24. D. de S. P. V. L. 8. et 9. C. de Seruit. j. Diff. III. in Collectaneis Perr. Toullieu de luitione pign. et rebus merae facultatis §. 28. p. 123. edit: Clav. Ioannis Wolbers.

b) L. 6. D. de S. P. V. L. 10. §. 1. D. quem seru. j. Rudolph. Forner. rer. quotid. L. u. C. XII. in Thes. Iur. Rom. Ottonis Tom. II. p. 172.

- p. 172. Wernher. P. u. En. 304. Carpz. P. 2. C. 4. d. 8. et  
 P. 3. def. 288. Richter P. i. dec. 21. n. 59.  
 c) L. 8. pr. D. quemadmodum Seru. j. Magnif. Leyser Spec. no. med. 4.  
 d) L. 24. et 33. §. 1. D. de S. P. R. L. 44. D. Locat. cond. teste  
 Carpz. P. II. Dec. 106. et Philippi Vſu Pr. Inst. L. II. T. III.  
 Eclog. 25. p. 317. seq. et Wernh. P. VI. Obs. 385.

§. XXI.

Quemadmodum vero in hoc omnes consen-  
 tiunt, dominum praedii seruentis regulariter a iu-  
 re compascendi non excludi; quia iura seruitutum,  
 sicut et iurisdictionis, aliaque iura incorporalia, re-  
 gulariter cumulatiue, et non priuatiae, penes alium  
 esse censentur a); ita de iure compascui non nihil  
 differere operae pretium esse duco: hoc autem ius  
 compascendi, quod iure domini pro indiuiso l. 25.  
 §. 1. D. de T. S. vti diximus, competit, et pars do-  
 minii est, a iure compascui, vi cuius, iure seruitutis,  
 vicinus pati tenetur, ut in ipsis praedio nostrum  
 pectus, vna cum ipsius pecore pacatur, plane est di-  
 versant b). Compascuum enim commixtos quo-  
 dammodo et confines agros, mutuamque in his ser-  
 uitutem, requirit, teste Carpzouio c), Meuio d), et  
 Illustr. Wernhero e). Simili ratione, vti ius con-  
 uenationis seu conuenandi die Koppel Jagd ex Ord.  
 Prouinc. de Ao. 1555. sit, dass keiner auf des andern  
 Grund etc. §. wo aber einer oder mehr etc. in fundis  
 commixtis atque confusis fundatur f); et quamvis  
 sec. L. 77. §. 20. D. de leg. 11. et L. 5. C. Comm. diuid.  
 inuitus nemo in communione derineri possit; haec  
 tamen regula suam patitur exceptionem in compa-  
 scuo ex familiaritate concessso, quod instar precarii  
 reci-

24 DE AEQUALI IURE PRAEDII DOMINANTIS

reciproci est, et pro arbitrio etiam ab uno reuocari; nec praescribi potest, arg. L. 2. C. de *praescript.* 30. vel 40. *annor.* et L. 41. D. de *acqu.* vel *am. poss. g)* etenim is iure pascendi non est vslus iure seruitutis, sed familiaritatis, adeoque nec eo vslu seruitutem vnquam acquisiuit h): nemo enim sibi caussam possessionis potest mutare. L. 33. §. 1. D. de *Vfucap.*

- a) arg. c. 14. *sqq. verb.* nos igitur attendentes de *praebind.* in 6to Mantz. de S. P. V. et R. n. 302. B. Menck. in *Synops.* Pand. L. II. T. I. §. XI. b) Ampl. Leyser Spec. 108. mod. XI. c) P. 2. C. 41. *def. g.* d) P. 5. *dec. 25.* n. 8. e) P. u. *Obs.* 356. f) vid. Berger. *dec. 68.* g) et ad hanc L. Stryckii *Diss. de iure familiaritatis* C. V. §. 38. *sqq.* h) vid. Cocceii *Diss. de praescript. extraord.* vel anom. ad L. 10. D. si seru. vind. §. 22. *sqq.*

§. XXXII.

Quum autem in dubio, si seruitus pascendi vel compascui sit constituta, domino praedii dominantis, aequalis sit, vel esse debeat conditio; ex his si pascua, i. e. vbi pecora pascuntur a), ab initio utriusque sufficientia fuerint, ex post facto deficiant, an huic, vel illi, maius ius competat, intellectu sit facillimum: nihilominus tamen variae idcirco inter DD. agitatae sunt controversiae, et cum haec tractatio caput sit huius dissertationis, singillatim haec persequi constitui. Tot autem sunt sententiae, quot, modo pro diuersitate idearum, mente concipi possunt, nisi utrumque dominum praedii seruientis et dominantis ridicule hoc in casu a iure pascendi plane excludere velis; alii enim pro seruiente, alii pro domi-

dominante, et alii denique pro vtroque pugnant. Domino praedii seruentis plurimi fauent; Mantzius b), Richterus c), Brunnemannus d), Berlichius e), Bodinus f), Menkenius g), Boehmerius h), aliquie i), eorum autem argumenta luc collimant, vt prouocent ad L. 13. §. 1. D. Comm. Praed. et L. 6. C. de Seruit. Seruitutem rem esse onerosam et odiosam, et contra naturalem libertatem praedii, hincque strictissimae interpretationis, et ordinatam charitatem dominum in percipienda utilitate praeferre; imo addunt, in generali concessione non venire ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus c. 81. de R. I. in 6to. Sed L. 13. D. Comm. Praed. nequaquam hoc euincit; nam legem hanc nequidem de seruitute agere, ex ipsis eius verbis luculenter satis appetet, vbi dicitur, neminem in fundo alieno, invito domino lapides caedere posse, cui id faciendi ius non est, nisi talis consuetudo sit introducta, vt, si quis voluerit, ex his caedere possit; quod utique tamen non aliter fieri debeat, nisi pro hoc domino solitum solatum praestitum sit: imo cum hoc moderatione, ne lapides domino ad propriam necessitatem subtrahantur, id quod Stryckius k) bene iam animaduertit.

- a) L. 30. D. de V. S. b) in tr. de S. P. R. T. 3. qu. 66. et 67.  
 n. 302. p. 353. c) P. 1. Dec. 16. n. ult. d) ad L. 13. D.  
 Comm. Praed. e) P. 2. Concl. 49. n. 6. sqq. f) Diss. de  
 iure domini in praedio seruiente Th. XII. g) L. VIII.  
 Tit. IV. in Synops. Theor. et Prax. Pand. in fine. h) cod.  
 l. §. 9. i) prout ex Mathia de Afflictis Decis. 209. huc  
 refert

26 DE AEQUALI IVRE PRAEDII DOMINANTIS

refert Io. Köppen *Dec. 15.* n. 8. et n. Barthius *Diss. de iure pascendi Cap. 3.* §. 8. k) *Vsu moderno L. VIII. tit. n. §. 15. in fine.*

§. XXIII.

*Et L. 6. C. de Seruit.* a) ex qua seruienti praedio pinguius ius prae dominantे attribuere intendunt, prorsus huc non spectat, dum, ut Brunne-mannus recte ad hanc legem obseruat, seruitus aquae ducendae in hac lege ita constituta videtur, nisi ipse dominus fundi ea aqua egeat; in quo casu regula procedit, quilibet sibi proximus est, et cum hac lege coniungi meretur *L. 19. §. 1. D. de Re Iud.* qua eius, qui ex causa donationis vel simili condemnatur, ratio habenda est, ne egeat, et denique ipsa verba finalia *L. 6. C. de Seru.* fatis indicant; hic sermonem non esse de seruitute constituta, quae iure competit, sed de liberali, vel amica communicatione utilitatis loqui, id quod hanc obscure ex verbo *iniuria* fluit b). Imo B. Barthius c) recte sentit, horum opinioni ideo vix subscriendum videri, quia ius alicui, pactis et stipulationibus aut etiam praescriptione legitime quaestum, merito auferri nequeat, arg. *J. 40. I. de R. D.* Et quamquam denique concedam, regulam Gaii, in *L. 147. D. de R. I.* semper specialia generalibus inesse, universaliter veram non esse d): ad non cogitata enim, vel ad ea, quae non sunt moris et consuetudinis, vel verisimiliter quis non sit obligaturus, non extendi obligationem, vel concessionem *c. 81. de R. I.* in

ET SERVIENTIS, SI PASCVA NON SVFFICIENT. 27

in 6to. cum quo conuenit L. 6. D. de pign. sqq. ex-  
inde tamen modo sequitur, quod dominus praedii  
seruentis neque excludi a iure pascendi, neque ex-  
cludere possit dominum praedii dominantis.

a) vid. Not. Gothofr. ad L. 6. C. de Seruit. b) Stryck P.  
M. L. VIII. tit. 3. §. 15. in fine. c) dicto loco. d) j. Lu-  
douici in Diff. an species deroget generi Cap. 1. §. 1. sqq.

§. XXIV.

Altera igitur sententia est eorum, qui pro do-  
mino praedii dominantis pugnant, si scilicet quis,  
vel praescriptione, vel pacto, ius habet pascendi  
animalia in praedio alieno a). Sed ICtorum non  
tam magna pars eandem fouet sententiam, merito  
tamen hue referes Couarruuum b), Wernherum c),  
Ludouici d), perperam autem Schurffium e) et  
Connanum f), praecipuus autem huius sententiae  
defensor est Samuel Stryckius g); quatenus enim,  
inquit, alteri ius certum in meo quaestum est, ea-  
tenus ego ab hoc iure excludor, nisi quatenus citra  
impedimentum alterius id fieri possit, hinc, quas  
aedes alteri locauit, illas ipse inhabitare nequeo;  
quas fenestras alteri indulsi, illas nouo aedificio ob-  
scurare nequeo; sed hi casus plane huc non qua-  
drant, dum a nostro prorsus sunt diuersi; debet enim  
salua manere seruitus: et ea, quae sunt moris et  
consuetudinis, in bonae fidei iudiciis debent omni-  
no venire L. 31. §. 20. D. de Aedil. edict. ac contra  
eum pronuntiandum, qui clarius in constituenda  
seruitute loqui debuisset, L. 39. D. de Patis h), et

D 2

qui

28 DE AEQUALI IURE PRAEDII DOMINANTIS

qui magis commodum ex contractu quaerit: praesertim quum certissimi iuris sit, seruiens praedium quam minime esse onerandum, et ubi de liberando quaeritur, ad liberationem nos propensiores esse debere monente Arriano in l. 47. D. de oblig. et act. et Cell. in l. 99. D. de verb. obl.

- a) vide Couarruu. L. i. resolut. Cap. 17. n. u. verb. his vero,  
quae de iure pascendi etc. p. 85. b) citato loco. c) P. 9.  
Obs. 67. d) Doctrin. Pand. Lib. VIII. T. III. §. 7. pag. 176.  
e) Cent. i. Conf. 69. n. 20. 21. et 26. f. 140. et 141. quem tamen  
huc quoque refert Barthius dict. diff. f) pract. quæst. 3.  
c. 37. n. i. vti obseruauit Stryck. V. M. L. VIII. tit. 3. §. 5.  
g) antecedente loco. h) et ad eam illustr. Boehmeri  
Diff.

§. XXV.

Si vero seruitus pascendi præscriptione est acquisita, non statim etiam cum iure prohibendi, ut in superioribus probavi, est coniuncta, aliud enim est seruitutem acquirere, aliud, ius prohibendi habere; illa quidem vsu et patientia acquiritur, hoc vero interueniente demum prohibitione, a parte dominantis, et omissione facti a parte domini seruientis praedii a). Inde ipse Stryckius b) utile esse statuit, in acquirenda seruitute iuris pascendi, pacto sibi consulere, ne seruitute hac gaudens aliquando a pascuis excludatur; priorem enim sententiam, quae domino praedii seruientis prerogatiuam concedit, aequiorem, et ideo in foro applausum inuenisse, hanc autem in puncto iuris veriorem esse, statuit; sed ei forsitan non in mentem venit, dari ter-

tiam

ET SERVENTIS, SI PASCVA NON SVFFICIENT. 29

tiam sententiam eorum, qui pro vtroque praedio faciunt, quam sine dubio omnium optimam, et summa aequitate pariter ac iustitia nití dixeris.

a) vid. Illuſtr. Wernher P. 1. Obf. 87. diſſentit Berger Oec. Iur. p. 546. qui tamen teſte Wernh. P. 9. Obf. 4. mutavit ſententiam. b) diſcio loco.

§. XXVI.

Difſentientium enim argumenta, vti paucis iam demonstrauimus, non eiusmodi roboris ſunt, vt nos in partes suas trahere poſſint, hinc potius eorum accedo ſententiae, qui ſeruenti et dominanti aequale ius tribuant; nam, licet expreſſa legis diſpoſitio deficiat, iuſtitiam tamen naturalē et aequitatem, eo in caſu, pro lege allegare, ſatis nobis erit; imo hanc noſtrā ſententiam in ſuperioribus iam iam ſtabiliuſimus; namque ex natura rei ipſius fluit, quod neutri praedio praerogatiua pree altero ſit concedenda; ſi enim ſeruiens praedium praeferaamus, dominus eiusdem tantum numerum pecoris ſibi comparare poſſet, vt paſcua non ſufficient, et hoc ipſo dominum praedii dominantis, a iure compaſcendi plane excluderet, imo idem quoque a domino dominantis praedii in praediūdiciū domini praedii ſeruentis fuſcipi poſſet. Amplexus eſt hanc ſententiam Illuſtr. Heineccius a). Et Bergerus b), nec non Metius c), de agris diuerſorum dominorum, ſi quidem ita ſint commixti, vt alter, ſine alterius praedii attractu, pecus in ſuo praedio nequeat paſcere, ſtatuant, moribus in- traductum eſſe, vt utriq[ue], pro numero iugera, D 3 tot

30 DE AEQVALI IVRE PRAEDII DOMINANTIS &c.

tot oues habere, et in commixtis agris pascere li-  
ceat, quot per hyemem ex stramine et foeno in agro  
suo natis alere possit, quae utiliter ob paritatem ra-  
tionis et hoc applicari poterunt.

a) in Digest. L. VIII. Tit. III. §. CLII. b) in Occ. Iur. L. II.  
Tit. III. §. 8. not. 7. c) P. I. Decis. 28.

§. XXVII.

Et sic quoque iudicauit Curia et Seab. Vitemb.  
quae sententia in causâ appellationis *Marien Rä-  
riuffin und Consorten contra Christoph Schumann und  
Consorten in Illustr. Regimine Sax. Martisburg.* die  
22. Nou. 1732. publicata, hisce additis rationibus:  
Ferner in dem Falle, da die Wiesen vor beyder Theile  
gesammeltes Vieb nicht hinreichen, die natürliche  
Billigkeit an Hand giebet, dass beyde Theile eine glei-  
che Anzahl Viebes, nach Proportion derer Wiesen hal-  
ten, indem sonst, wenn man eine derer beyden gemeinen  
mit einander streitenden Meinungen annehmen, und ent-  
weder dem Dominanti, oder dem Seruienti den Vorzug  
geben wollte, das absurdum daraus folgen würde, dass  
derjenige, welcher den Vorzug hätte, durch Anschaffung  
einer grossen Menge Viebes dem andern sein Recht  
gar interuertiren könnte etc.

T A N T V M.





**ULB Halle**  
003 935 574

3



5b.





B.I.G.



Q. D. B. V.

DISPVTATIO IVRIDICA

286  
1738, 15<sup>b</sup>

DE AEQVALI  
VRE DOMINANTIS  
ET SERVENTIS PRAEDII  
SI PASCUA NON SVFFICIENT

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
CONSENSV

P R A E S I D E

D. ANDREA FLORENTE  
RIVINO

SVPR. CVR. PROV. ADVOC. ORDIN.

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI

E X H I B E T

AVCTOR ET RESPONDENS

AROLVS FRIDERICVS MENSER  
LIPS.

D. XIII. FEBR. CICICC XXXVIII.

Rec. L I P S I A E 1747.  
LITTERIS STOPFFELIANIS.